

**1996-09-14 – SS Ioannes Paulus II – Nuntius Gratulatorius ‘Laetantes Omnino’****IOANNES PAULUS PP. II*****NUNTIUS GRATULATORIUS MISSUS******AD ACHILLEM S.R.E. CARDINALEM SILVESTRINI,******ELECTUM MISSUM EXTRAORDINARIUM AD CELEBRANDAM QUADRIGENTESIMAM ANNIVERSARIAM  
MEMORIAM UNIONIS BRESTANAE***

*Venerabili Fratri Nostro  
Achilli S.R.E. Cardinali Silvestrini  
Congregations pro Ecclesiis Orientalibus Praefecto*

Laetantes omnino se exhibent Christifideles Ucraini qui hoc anno quartum memorant saeculum ab adepta inter christianos Graecocatholicos Unione Brestana. Ad eos sane cogitationes Nostras et mentes libenter rettulimus, pro certo habentes hunc perfaustum eventum praecipue celebrare ad eorum fidem confirmandam et unitatem caritatis servandam. Has vero saeculares memorias, quae ad finem iam vergunt et inter dies IX-XIV proximi menses Octobres Leopoli in Ucraina complebuntur, Ucrainus populus summa cum sollemnitate ac magnificientia recolere cupit.

Piis igitur desideriis ac postulationibus tutu Venerabilis Fratris Nostri Myroslai Ioannis Cardinales Lubachivsky, Archiepiscopi Maioris Leopolitani Ucrainorum, tutu etiam universi cleri, religiosorum et fidelium istius Communitatis concedentes, ad Te, Venerabilis Frater Noster, mens Nostra convertitur, quia idoneum Te arbitramur ad hoc officium implendum et panes Nostras ibidem convenienter sustinendas.

Ideo hisce datis Litteris Te renuntiamus Nostrum *Missum Extraordinarium* ut sacris ritibus quadringentesimae anniversariae memoriae Unionis Brestanae sollemniter praesideas. Tu ergo omnes ibi adstantes voce Nostra consulatibus iisque Nostram ostendes per spiritum praesentiam atque propensam voluntatem quae omnes complectatur, omnium aerumnas soletur omniumque erigat animos. Adhortaberis quoque episcopos et presbyteros universos ut, tam operibus quam vitae suae testimonio, catholicam Populi Dei unitatem iugiter promoveant et servent. Christifideles denique stimulabis ut suis Pastoribus corde uno et anima una constans fervidumque piae auxilium.

Noveris denique, Venerabilis Frater Noster, Nos Dominum esse precatueros ut missionem Tuam suo prosequatur praesidio, fidentes munus Tuum cunctis illis praesentibus optime esse cessurum.

Libenti ergo animo Benedictionem Nostram Apostolicam, supernorum donorum nuntiam, Tibi deferri largiter volumus, quam cum omnibus ibi adstantibus communicabis.

*Ex Aedibus Vaticanis, die XIV mensis Septembbris, anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri duodecimmo.*

**IOANNES PAULUS PP. II**